

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Malicia k cum uariis

Consideras hec stulticie mixtum dolum tyranni. Aut enim Herodes credidit scripturis aut non. Si non credidit, ut quid ergo interrogabat scripturas quas putabat esse uaniloquas? Si credidit estimans prophetiam esse immobilem, quomodo ergo sperabat illum regem posse interficere quem futurum esse dicebant scripture? Nam si prophetie credidit, clarum erat ipsum aduersus impossibilia conari. Si non credidit, tunc nec sibi timere debuit, nec puero insidiari. Respondit Crisostomus: Anima semel malignitate capta stultior cunctis efficitur. Tale quippe est uicium malignitatis ut a nullo plerumque impulsus, sese ipsa precipitet, et sepe absque effectu operis erumpnosa impossibilia conatur efficere.

Crisostomus super secundum capitulum Matthei.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

consideras] considerans M P V<sup>1</sup>; hec] hic M, huius P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; Herodes] heredes P V<sup>1</sup>;  
putabat] quas *add. (del. intra)* B; si] sed V<sup>1</sup> V<sup>2</sup>, sed si L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; respondit] respondet P V<sup>1</sup>;  
capta *om.* B; plerumque] plurimumque M; erumpnosa] et *add.* L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; conatur] conetur L<sup>1</sup>  
L<sup>2</sup>; secundum capitulum Matthei] Mattheum capitulo 2. P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>